

facto incurrere. At hæc excommunicatio non fuit renovata in Const. 'Apostolica Sedis'. 4^o. In *Clem. 1^a. h. t.* regulares usurpantes vel impediens decimas debitas ecclesiis, suspenduntur ab officiis, administrationibus, et beneficiis quæ possideant, quod si nihil horum habeant, excommunicantur, si intra duos menses iisdem Ecclesiis non satisfecerint. Porro suspensio, de qua in hac decretali, juxta doctores intelligitur ab administratione rerum temporalium, non autem a divinis.

20. Si decimæ denegentur potest decimator agere in petitorio actione confessoria, qua a iudice exposcit declarari sibi jus decimandi competere. Ita Glos. in *c. 26. h. t.* Si vero quæstio sit in possessorio, utrum nempe decimator possideat jus decimandi necne, tunc poterit agere remedio adipiscendæ, vel retinendæ possessionis. Primum iudicium cum totum versetur circa jus spirituale est exclusivum tribunalis ecclesiastici arg. *c. 25. h. t. et c. fin. De rerum permitt.* Secundum vero seu iudicium in possessorio, cum possessio juris sit res temporalis, poterit etiam pertinere ad laicum iudicem, cum videlicet reus erit laica persona.

De primitiis.

21. Primitiæ sunt primi fructus. De primitiis sermo est in lib. *Exod. 23., Deuter. 26. et Num. 18.* Ex *c. 1. h. t.* et Glossa ibi in Ecclesia instituta est praxis solvendi Ecclesiæ primitiis, quæ comprehendunt non solum primos fructus agrorum et animalium in anno, sed etiam primos fructus agri novalis. Porro nomine primitiarum solvendarum Ecclesiæ venit certa portio ex fructibus agrorum, quæ non excedit quadragesimam partem ipsorum fructuum. In animalibus vero ipsum primogenitum animal non in natura, sed ejus æstimatio præstanda est in portione quæ major non sit quadragesima. Si primitiæ solvantur Ecclesiæ parochiali, parochus est, qui exclusive ad alios sacerdotes facit suas. Si solvantur aliis Ecclesiis cedunt ipsis Ecclesiis. In genere præsumitur primitias Parocho solvi debere. At fere ubique in desuetudinem abiit.

De oblationibus.

22. Oblationis nomine venit quicquid Ecclesiæ offertur causa religionis.

Oblationes per se inspectæ non cadunt sub ullo jure sive divino sive humano. At ex lege testamentaria aut ex consuetudine,

præsertim in defectu honestæ sustentationis ministrorum fieri potest ut certis anni temporibus fideles teneantur oblationes Ecclesiæ præstare. Cavendum vero est præsertim in usu sacramentalium, in benedicendis agris vel domibus aqua lustrali, ne exigantur oblationes ceu correspectivum benedictionis.

23. Si quærat quænam cedant oblationes, dicendum est de jure communi oblationes quæ fiunt intra limites parœciæ, sive in Ecclesia parochiali, sive in oratorio privato, vel alicui imagini pertinere ad Parochum loci. Ipse enim habet fundatam intentionem in jure. Ita communiter Doctores. At hac in re notanda sunt: 1^o. Principium superius allatum locum habuisse in tota sua extensione cum vigeat usus decimarum. Hodie autem præsertim locorum consuetudines attendendæ, quibus consuetudinibus inductum est ut oblationes oratoriis, vel locis piis factæ administrantur ab illis quibus commissa est loci cura sub Episcopi auctoritate, vel saltem vigilantia. Qua in re præ oculis haberi debet decretum urbis et orbis S. Congreg. Rituum 1703 edit. circa jura parochialia, et præeminentias inter Parochos, et confraternitates laicorum, eorumque Capellanos. In dubio 28. decreti cum quæreretur an possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, et eleemosynarum in sæpe dictis Ecclesiis (confraternitatibus) collectarum vel capsulæ pro illis excipiendis expositæ clavem retinere, responsum est negative. 2^o. Præcipue attendenda est intentio fidelium offerentium.

24. Ecclesia non a quibuscumque recipit oblationes: 1^o. non recipit oblationes in Ecclesia, vel ad altare a non baptizatis, et ab aliis qui a communione præcisi sunt. 2^o. Ab usurariis *c. 3. De usuris.* 3^o. A raptoribus *c. 2. De raptoribus.* 4^o. Ab oppressoribus pauperum *can. 2. Dist. 89.* 5^o. A sacrilegis *can. 12. c. 17. q. 2.* 6^o. A publicis pœnitentibus ne videatur ratione oblationis Ecclesia remittere pœnam *can. 118. Dist. 3. De consecrat.* 7^o. Etiam a publicis peccatoribus, in pœnam criminis et scandali.

TITULUS XXXI.

De regularibus et transeuntibus ad religionem.

1. Antiquissimi sunt in Ecclesia cœtus personarum, quæ ex professo quasdam virtutes exercent, et perfectioni vitæ spiritualis insistent. Cœtus isti dicuntur vivere in statu regulari. Cum per-

sonæ in hoc statu viventes consiliorum evangelicorum observantiam spondeant visum est aliquibus posse juri divino tribui hunc statum. At revera quamvis in statu regulari locum habeant præcipuum tria evangelica vota, tamen status ipse prout specificè determinatur in hodierna disciplina ab ecclesiastica institutione repetendus est et juris est ecclesiastici. Et definitur 'Stabilis in communi vivendi modus fidelium ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium ab Ecclesia approbatus, editis votis perpetuæ obedientiæ, paupertatis, et castitatis'. Ex hac definitione descendit ad statum religiosum constituendum requiri 1º. stabilitatem seu permanentem immo perpetuam conditionem a fidei susceptam per liberam professionem in religiosa communitate, quæ libera professio inducat veram obligationem personalem.

2. 2º. Tria vota perpetua castitatis etc. Hæc tria vota dicuntur substantialia status religiosi tum quia ex evangelica præscriptione sunt media ut pertingat homo ad culmen christianæ perfectionis pro qua institutæ sunt regularium familiæ, tum quia hisce tribus votis potest etiam aliud votum accedere.

3. 3º. Requiritur approbatio Ecclesiæ quæ judicio suo cognoscat de qualitate regulæ propositæ utrum revera ad scopum perfectionis dirigere valeat. Antiquitus regulæ religiosarum familiarum ab ordinariis locorum probabantur cum consensu Romani Pontificis, vel tacito, vel præsumpto. Deinde cum multiplicitas religionum confusionem induceret in Ecclesia, factum est ut Innocent. III. in Conc. Later. IV. ad judicium S. Sedis reservaverit approbationem ordinum regularium *c. ult. De relig. domib.* Concordat *cap. un. De voto in 6º.* Hinc approbatio hujusmodi cœpit adnumerari inter causas majores, quæ ex dispositione *c. 3. De Bapt. (42. lib. III.)* reservantur Rom. Pontifici decernendæ.

4. Ex *cap. un. De voto in 6º.* deprehendimus vota alia esse solemnna, alia vero simplicia, et solemnitatem non esse aliquid intrinsicum ipsi voto idest aliquid dependens ab ipso vovente, sed aliquid super additum ab extrinseco. Scilicet solemnitas voti inducta est ab Ecclesia, quæ religionem approbat, agnoscens regulam religionis illius esse medium perfectionis assequendæ. Solemnitas vero voti efficit ut actus qui contra votum simplex esset solummodo illicitus, contra votum solemnne sit etiam invalidus. Antiquitus cum nulla esset religio approbata quin vota haberet solemnna, hinc ipsa simplex approbatio inducebat solemnitatem votorum.

5. At primo factum est a Gregorio XIII. in Bulla *Ascendente Domino* ut pro Societate Jesu statueret, vota simplicia alumnorum societatis matrimonium dirimere, quoadusque iidem alumni in societate manerent. Exinde principium quod antea valebat: extra religionem non adest votum solemnne, sed votum solemnne est quod emittitur in religione approbata, aliquam mutationem passum est, et in hoc aliud conversum est: 'Votum solemnne est quod emittitur in religione approbata a S. Sede cum solemnitate votorum'. Et exinde inceperunt existere religiones approbatæ ab Apostolica Sede absque solemnitate votorum.

De ingressu in religionem.

6. Loquimur de ingressu tantum, deinde de professione. Pro ingressu ætas determinata non est. Sufficit vero ætas pubertatis *cap. 8. et c. 12. h. t.* et quoad mulieres *Trid. sess. 25. De Reg. c. 17.* Et ratio est quia hæc ætas necessaria ad sufficientem discretionem habendam, et sufficiens reputatur, ut persona indolem status regularis cognoscat, et proprias vires cum rigore ejusdem comparet. Hinc quicumque in ætate pubertatis constituti nullo impedimento detinentur, ingredi religionem possunt. At 1º. Episcopi sine Pontificis consensu non possunt ingredi religionem *c. 10. De renunc. 2º.* Conjuges post matrimonium consummatum *c. 3. et 13. De convers. conjug.* nisi quibusdam positis conditionibus, de quibus infra in *cit. tit. De conversione conjug.* 3º. Servi sine domini licentia. *arg. can. fin. caus. 17. q. 2. et can. 12. caus. 16. q. 1.* Quibus adhærent Constitutiones Sixti V. *'Cum de omnibus'* editæ *Kal. Dec. 1587* et instructio edita jussu Clementis VIII. die *19. Martii 1603.* 4º. Obligati ad ratiocinia, seu qui debent adhuc reddere rationem administrationis rerum alienarum *c. 1. Dist. 63. et Constit. Sixti V. et Clem. VIII. cit.* Ex quibus constitutionibus excluduntur etiam 5º. nimium ære alieno gravati, et 6º. infames et 7º. tandem corpore vitiati.

7. In hodierna autem disciplina præ oculis habenda sunt duo decreta Summi Pontificis Pii IX. s. mem. Primum decretum incipit *Romani Pontifices*, secundum vero incipit *Regulari disciplina.* Utrumque editum fuit die *25. Jan. 1848.*

In primo statuit Pontifex in quovis ordine, vel societate, vel congregatione, instituto aut monasterio, sive habeat vota solemnna, sive habeat solummodo simplicia, nullum esse admittendum ad ha-

bitum religiosum suscipiendum nisi antea muniatur, et præsentet literas testimoniales Ordinarii originis, et ordinarii loci illius in quo per annum post decimum quintum annum completum commoratus fuerit. Ordinarii etiam per secretas informationes tenentur in conscientia omnia diligenter inquirere, et exponere tum de natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, et scientia illius, qui exoptulat ingredi religionem.

8. Secundum decretum duplici constat parte. In prima parte præscribitur modus observandus in approbatione, et acceptatione novitii ad habitum suscipiendum. Modus hic consistit in duplici præsertim scrutinio. Primum scrutinium perficiendum est in Provincia, in qua fidelis homo exoptulat habitum religiosum. Perficitur vero a Provinciali et a septem aliis idoneis religiosis, in capitulo provinciali electis, qui examini subijciant postulantes et documenta expendant, et per secreta suffragia judicent an dignus sit qui in religionem recipiatur. Unum supra medietatem suffragiorum requiritur ut postulans probatus habeatur. Secundum scrutinium Romæ faciendum est a Superiore generali totius ordinis, vel a procuratore generali Romæ commorante, quoties superior generalis ibidem non resideat, et saltem ab aliis tribus generalibus examinadoribus. Quare documenta et examen in primo scrutinio habitum in forma authentica Romam transmittenda sunt. Quod si tres examinadores nec Romæ commorantur, nec Romam commode vocari possunt, eadem acta seu documenta transmittenda sunt ad Superiorem generalem etsi alibi moretur. Insuper præter utrumque scrutinium servanda sunt, quæ a Constitutionibus particularibus cujusque ordinis religiosi statuta sunt. Ille habitum religiosum suscipere poterit qui in utroque scrutinio, et juxta legem peculiarem ordinis fuerit probatus.

9. Altera pars decreti inscribitur *De lege servanda in admittendis Novitiis ad professionem*. Summa dispositionum hæc est: Provincialis, vel si in religione non adsit Provincialis, Superior domus novitiatus duobus mensibus ante professionem, audita relatione Magistri novitiorum, vel per se, vel per idoneum religiosum interrogare debet Novitium de voluntate profitendi, de spiritu, quo ducitur, de indole regulæ instituti. Deinde auditis singillatim religiosis in domo novitiatus commorantibus, convocare debet capitulum ejusdem domus, et exquirere debet sententiam capitularium. Deinde provincialis sententiam capituli communicare

debet tribus examinadoribus qui judicent cum Magistro Novitiorum utrum dignus sit Novitius, qui ad professionem admittatur. Tandem provincialis de omnibus instructum reddere debet superiorem generalem, qui, captis etiam aliis informationibus, approbationem datam ab examinadoribus revocet vel confirmet. Insuper ea omnia observanda sunt, quæ ab Instituti religiosi Constitutionibus requiruntur.

10. Ingressus in religionem proprie regularem non facit, sed Novitium. Novitii autem ex stricta obligatione non tenentur ad tria vota observanda, nec ad observanda alia præcepta vel statuta regulæ familiæ religiosæ, sed solum, ut ajunt, ex honestate et decentia omnibus religionis privilegiis fruuntur. Libere vero possunt ad statum sæcularem remeare.

De professione religiosa.

11. Professio est, quæ hominem religiosum facit. Definitur autem: 'Libera et solemnis promissio qua homo fidelis religiosum statum firmiter assumit, religione per suum prælatum expresse, vel tacite approbante, et acceptante'.

12. Libera debet esse professio seu ex libero consensu personæ profitentis procedere debet. Quare si emittatur professio ex metu gravi, seu qui cadat in virum constantem, et sit externe, injuste et directe incussus, ipsa professio invalida est *c. 1. De his quæ vis metusque causa fiunt*. Cui concordat Conc. Trid. *sess. 25. c. 19. De regularibus*. Quare in professione religiosa quemadmodum in contractu matrimonii non valet principium, actus positi sub metu gravi validi sunt, sed rescinduntur ad querelam partis læsæ. In genere comminatio damni gravis sive contra personam, sive contra honorem sive contra patrimonium habetur ceu causa metus gravis; solet enim etiam in viro constanti hæc comminatio inducere mentis trepidationem, et auferre illam consilii tranquillitatem et maturitatem quæ tantopere necessaria est in suscipienda gravi perpetuaque obligatione status religiosi. Pro tutanda libertate professionis in mulieribus attendenda est dispositio Trid. *c. 17. sess. 25. De Reg.* Statuit Tridentinum ut puella professionem non emittat priusquam Episcopus, vel eo absente aut impedito ejus Vicarius, aut aliquis alius eorum sumptibus ab eis deputatus exploraverit diligenter voluntatem virginis, an coacta vel seducta fuerit, an sciat quid agat. Ne autem Episcopus ignoret tempus professionis præfecta Monasterii

eum ante mensem certiore reddere tenetur. Quod si non fecerit ab officio suspensa maneat quamdiu Episcopo videbitur. Hæc porro non ad validitatem professionis sed ad honestatem requiruntur. Ex resolut. S. Congreg. Conc. in *Suessonens. diei 16. Sept. 1662.* et ex aliis ad Episcopum pertinet explorare voluntatem virginum etiam in monasteriis exemptis.

13. 2^o. Professio est actus sollemnis; idest emissus in forma propria cujuscumque religionis approbatæ. At antiquo jure professio alia fuit *expressa* seu sollemnis, alia *tacita*. De tacita professione loquuntur plura capita juris. Ita *cc. 4., 8., 9., 20., 22. et 23. h. t.* Pariter *cc. 2., 3. et 4. h. t. in 6^o.* Necnon *Clem. 2. eod.* Ex quibus capitibus infertur tacitam professionem jure canonico agnitam fuisse uti validam quoties factum aliquod verificaretur, quod simul revelabat voluntatem determinatam fidelis assumendi in perpetuum statum religiosum, et consensum communitatis acceptantis eundem in fratrem. Quare inducebatur tacita professio 1. quoties aliquis non contradicente communitate in ætate pubertatis constitutus habitum novitiorum, non distinctum tamen colore, scissura vel forma ab habitu professorum, sponte per annum gestavisset, et actibus propriis religiosorum professorum se ingressisset; 2^o. si ante annum completum probationis suscepisset habitum proprium religiosorum professorum, et per triduum gestavisset. Hæc vero differentia erat, ut tacita professio intra annum probationis obligaret solummodo professum alicui religioni in genere: tacita autem professio post annum completum novitiatu, obligaret professum religioni in qua facta fuerat professio.

14. Quæsitum est a Doctoribus an tacita professio abrogata fuerit a Tridentino in *c. 15. sess. 25. De reg. ex quo* statuitur in quacumque religione tam virorum quam mulierum professionem esse nullam nisi fiat anno ætatis 16. completo, et post annum integrum probationis, computandum ab habitu religiosi susceptione. Communiter DD. inter quos Fagnanus comm. ad *c. 8. h. t.* tenent tacitam professionem etiam post Trid. dispositionem valere dummodo serventur conditiones a Concilio l. c. adsignatæ. Ita etiam declaravit S. Congregatio Concilii in *Cremonensi 1578.* Hinc inferunt DD. post Tridentinum valere tacitam professionem quoties post integrum annum probationis cum religionis habitu peractæ, et post expletum annum 16. ætatis a novitio actus illi perficiuntur qui inducant tacitam professionem atque vicissim a religione actus

illi acceptantur. Hinc quoad habitus gestationem, cum ante annum 16. et ante annum probationis non possit habere locum professio, concludunt habitus gestationem tacitam inducere professionem, si per alium annum idest si ad totum annum 17. gestatur habitus communis religionis. Quod si habitus novitiorum sit extrinsece distinctus ab habitu professorum, ajunt hoc in casu valere dispositionem *c. 8. h. t.* Quod nempe ad inducendam tacitam professionem sufficiat post annum probationis et annum 16. assumere habitum professorum illumque ad triduum gestare.

15. In hac vero re recenter quoad viros disciplina mutata est a Pio IX. s. mem. in citatis decretis Sacræ Congregationis super Statum Regularium '*Romani Pontifices*' et '*Regulari disciplina*' editis die *25. Jan. 1848,* necnon in Literis Encyclicis ejusdem S. Congr. diei *18. Martii 1857,* et magis expresse in declarationibus datis ab eodem Summo Pontifice die *12. Jan. 1858 sub n. XI.* Ex hisce locis patet vota sollemnia emitti debere in institutis religiosorum virorum per sollemnem professionem, et ideo professionem tacitam pro viris omnino abrogatam esse.

Nunc de requisitis ad professionem emittendam.

16. Jure decretalium aliquod requisitum erat solum necessarium pro licita professione non autem pro valida. Ita annus novitiatu ex *c. 16. h. t.* non erat ita necessarius, ut absque eo non teneret professio. Annus enim novitiatu consideratus est ceu tempus quo novitius experiretur qualitatem, et rigorem vitæ regularis, et vicissim religio cognosceret Novitii personam. Utrique vero renuntiari poterat juri proprio. Ita in *c. 16. h. t.* et clarius in *c. 23. eod.* At Trid. in *c. 15. sess. 25. De Regul. 1^o.* quoad ipsum novitiatu decernit, in quacumque religione tam virorum, quam mulierum nullum esse admittendum, qui minore tempore quam per annum integrum post susceptum habitum steterit in probatione. Quodsi secus fiat decernit Trid. professionem esse nullam, nullam obligationem inducere, nullumque producere effectum. Ergo annus novitiatu non ad honestatem, sed ad validitatem professionis pertinet.

17. Annus vero hic probationis debet esse 1^o. integer de die ad diem, immo de hora ad horam, ex resolutione S. Congr. Conc. diei *1. Febr. 1631.* Hinc nulla declaranda est professio in qua defuit modicum tempus, idest etiam spatium duarum horarum. Eadem Congr. ita resolvit die *21. Januarii 1617.* In anno autem

bissextili etiam dies quæ superest computatur. Ita S. Congregatio in Patavina diei 5. Julii 1617. 2º. Annus debet esse continuus, et non interruptus. Quod satis indicat Tridentinum per ea verba *per annum steterit*. Hinc teste Fagn. *comm. in c. 16. h. t.* omnes canonistæ scribentes de hac re tenent nullam esse professionem si annus probationis fuerit interruptus. Hæc vero interruptio vitiat professionem etiamsi ad modicum tempus locum habuerit. Immo teste Fagn. in *c. Insinuante. Qui Clerici n. 36.* S. Congr. nullam declaravit professionem emissam post annum novitiatus interrupti duarum horarum spatio. Quare qui novitiatum reliquit debet iterum probationem incipere, et per integrum annum in eadem perseverare nisi super defectus novitiatus dispensationem ab Apostolica Sede fuerit assecutus. 3º. Debet probatio fieri in habitu religionis, ita ut computetur annus ab epocha susceptionis habitus. 4º. Debet fieri probatio in monasteriis et locis pro novitiatu designatis ex decretis Clem. VIII. *'Regularis disciplinæ' 12. Martii 1596,* et *'Sanctissimus' 20. Junii 1599.* Quæ decreta pro Monasteriis Italiae et insularum adjacentium lata, nec omnes ordines regulares respicientia ab Urbano VIII. Const. *'Sacra Congregatio' 21. Sept. 1624* extensa sunt et applicata regularibus omnibus ubique locorum existentibus.

18. Quoad annum probationis exceptio facta est a S. Pio V. in Const. *'Summi Sacerdotii' 23. Aug. 1570* quoad novitias ordinis S. Dominici quibus indulgit ut in articulo mortis constitutæ, dummodo ad ætatem necessariam pervenerint, possint professionem emittere ante annum completum probationis. Id vero eis datum est solum ad effectum lucrandi indulgentias, et alias gratias concessas monialibus professis ita ut si convalescant non censeantur religioni obligatæ nisi transacto probationis anno iterum professionem emittant. Et sacra Congr. Conc. die 14. Jan. 1641 declaravit professionem ab infirmis monialibus emissam ante expletum annum probationis non parere monasterio jus ad dotem, vel hæreditatem monialis profitentis habendam.

19. Hoc privilegium concessum monialibus ordinis prædicatorum, ob communionem privilegiorum sibi communiter vindicarunt omnes regulares familiæ sive virorum sive monialium. Quod vero Greg. XIII. Constitutione *'In tanta' 1. Nov. 1573* Pianam Constitutionem reduxit ad Concilii Tridentini dispositionem, dicunt hoc non respicere indulgentias et gratias spirituales quæ percipi

possunt a Novitio profitente ante annum completum probationis, sed respicere solum alios effectus præsertim civiles.

20. Tandem opportunum arbitramur citare S. Congr. Conc. in *Massanensi ann. 1613* et in *Neapol. mensis Nov. 1605* ex quibus eruitur novitiam, vel novitium e monasterio egressos causa valetudinis post integrum annum probationis posse admitti absque altero probationis anno ad edendam solemniter professionem nisi religionis conditio, aut novitii mores essent immutati. Neque obstat decretum Tridentini *c. 16. sess. 25. De Reg.* ubi statuit: *'Finito tempore Novitiatus Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio ejeciant'*. Nam hoc decretum intelligendum est de personis quæ post completum annum novitiatus nullo impedimento detinentur quominus illico profiteantur religionem. Extendi ergo non debet ad casum in quo Novitius ob adversam valetudinem expleto anno cogitur e religione exire.

21. Speciali mentione digna sunt, quæ ex temporum adjunctis, ad regularem disciplinam, vel conservandam, vel restaurandam Summus Pontifex Pius IX. statuit 1º. in decreto *Neminem*, per organum S. Congregationis super Statum Regularium edito diei 18. Martii 1857 et 2º. in Const. *Ad Universalis Ecclesiæ die 7. Februar. 1862.* Immutatio inducta a Pontifice respicit solummodo viros, seu familias et instituta regularium virorum in quibus emittuntur vota solemnia. Unde quoad mulieres nihil est innovatum. Dispositio autem Pontificis hæc est: Firmis remanentibus his omnibus quæ juxta Trid. legem, et subsequentes dispositiones, necnon statuta propria ordinis cujusque annum novitiatus respiciunt, novitius post completum novitiatum emittere debet vota simplicia. Deinde post triennium computandum a die quo vota simplicia emisit, si dignus reperiatur, ad professionem votorum solemnium admittitur. Quod si vero aliquod institutum regulare habeat indultum ut ad longius tempus perduret professio votorum simplicium, servandum est. Votorum insuper solemnium professionem potest Superior generalis vel provincialis ex rationabilibus causis differre. At differri hæc professio non potest ultra annum 25. ætatis novitii. Quo tempore adveniente, alumnus vel admittitur ad professionem vel dimittendus est a religiosa familia. Si in religione non adsint provinciales superiores, facultas differendi emissionem votorum solemnium tribuitur etiam superiori domus novitiatus de consensu tamen magistri Novitiorum, et duorum aliorum qui in

instituto aliquo gradu sint insigniti. Hæc statuta fuere in decreto *Neminem*. In Const. vero *Ad universalis Ecclesie* 7. Febr. 1862 decernit Pontifex nullam prorsus, et irritam esse professionem votorum solemnium quoties ex quacumque causa vel prætextu, ignorantia etc. omissa fuerint vota simplicia.

22. 2^a qualitas, seu requisitum ad professionem est legitima ætas. Antiquitus in genere erat statuta ætas pubertatis in *c. 8. et c. 17. h. t.* Quod si in *capite 6. h. t.* prohibeantur recipi adolescentes ætate annorum 18 inferiores, eam dispositionem intelligunt doctores de aliqua religione rigidioris observantiæ in qua vi regulæ ordinis non recipiuntur nisi in ætate pubertatis completæ. At Conc. Trid. in *cit. c. 15. sess. 25. de Reg.* decernit ætatem legitimam pro edenda professione esse annum 16. completum ita ut professio ante hoc tempus emissa nullius sit valoris, et per se irrita. Ex dispositione Pii IX. superius citata post annum 16. completum possunt emitti solummodo vota simplicia, solemnia vero non possunt emitti nisi post aliud triennium completum, scilicet post annum 19. completum. Potest vero differri ad annum 25. Insuper quoad ætatem necessariam pro laicis et conversis statuit Summus Pontifex servandam esse Const. Clementis VIII. *'In supremo'* quæ lata est *die 2. Aprilis 1602.* In hac Const. decernit Clemens VIII. conversos non posse ad habitum recipi ante annos 20 ætatis.

23. Quibus positis exponendæ sunt quædam declarationes authenticæ circa novam dispositionem nomine et auctoritate ejusdem Summi Pontificis editæ. Et 1^o. ex declaratione diei *12. Jan. 1858* vota simplicia emissa post annum probationis perpetua sunt ex parte voventis. At solvi possunt vel ex dispensatione Summi Pontificis ob graves et urgentes causas exposcenda, vel ex decreto Superiorum ordinis qui alumnum dimittant a religione. 2^o. Ex eadem declaratione professi votorum simplicium admittuntur ad participationem omnium gratiarum, et privilegiorum quibus fruuntur professi votorum solemnium, necnon suffragium habent in Capitulis una cum solemniter professis, exceptis actibus capitularibus in quibus deliberandum est utrum necne sit admittendus ad vota solemnia aliquis professus votorum simplicium. Hæc exceptio facta est ad evitandum periculum collusionis. *Declar. diei 7. Febr. 1862.*

24. 3^o. Ex declaratione diei *6. Aug. 1858* professi votorum simplicium tenentur ad observantiam regulæ ordinis eodem modo quo

tenentur solemniter professi, quoad vero votum paupertatis, attendenda est alia declaratio diei *12. Aug. 1858*, prout sequitur: 'Professi votorum simplicium *dominium radicale*, uti ajunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium eodem pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, et usufructum, et usum quibus eis placuerit remittere ac etiam suo ordini si ita pro eorum libitu existimaverint'. Ordini vero suo hæc cedere non possunt, si ordo nequeat temporalia bona possidere.

25. Si quæretur quid sit dominium radicale respondent Canonistæ esse dominium in actu primo. Ita Ferraris voc. *votum art. 11. n. 119. et seqq.* Metaphorica hæc locutio est deducta ex arbore in qua distingui possunt duo, radix nempe, et externa evolutio. Hinc in dominio distingui potest 1^o. purum et nudum jus seu mera capacitas; 2^o. plena potestas ad exercitium, seu evolutio juris. Primum dici potest dominium in radice sua, seu dominium radicale. Secunda dici potest plenum dominium in sensu juridico, quo quis potest libere uti, frui rebus propriis, de iisque disponere.

26. Vota simplicia cum considerata sint solummodo ceu via et dispositio ad vota solemnia non excludunt redditum personæ ad statum sæcularem et civilem conditionem. Quare non privant hominem dominio radicali, sed solummodo eundem privant exercitio juris et administratione. Hæc enim non bene conveniunt cum homine fidei qui actu est religiosus, et vovit paupertatem. Solemnia autem vota quæ in perpetuum mancipant hominem religiosæ paupertati, adimunt etiam dominium radicale, et collocant hominem extra omnem civilem possidendi capacitatem.

27. 4^o. Alias vidimus ex decreto Tridentini in *c. 16. sess. 25. De Reg.* Novitiorum renunciationem non valere etiam ad causas pias nisi cum Episcopi licentia vel ejus Vicarii generalis fiat intra duos menses ante professionem, et cum implicita clausula, quod non valeat, nisi sequatur professio religiosa.

Ex *declar. diei 1. Aug. 1862* deprehendimus renunciationes istas pro professis votorum simplicium locum habere posse intra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Animadvertendum est, juxta *c. 4. h. t. in 6^o.* beneficium illius, qui religionem ingreditur, non esse conferendum intra annum proba-